



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Pars III. De Tractatione seu Deductione Argumentorum & Oratotoriâ, seu de Dilatione, secundùm Doctrinam recutiorum & inventionem propriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)



PARS TERTIA.

DE TRACTATIONE
SEU DEDUCTI-
ONE ARGUMEN-
TATIONUM ORA-
TORIA.

PUtabat Zeno Rhetoricam per hoc di-
stingui à Dialectica, quòd hæc breviter,
& strictè argumèta sua proponat, Rhe-
torica verò copiosè, amplè, & fusè : undè si-
milè illam faciebat manui contractæ in pug-
num, Rhetoricam verò explicatæ & extetæ.
Et verò sic se res habet: quod Dialectici nu-
dà argumentatione proponunt, hoc latè, &
diffusè Oratores; quamlibet enim argumen-
tationis partem verbis & sententiis augment,
& dilatant, ut una aliquando argumentatio
multas sibi paginas vendicat. Quapropter
postquam in praxim, & usum introductum
est argumentationis conficiendæ artificium
(quod facilè fit, si per ordinem singuli jube-
antur ex re obvia fabricare jam syllogis-
mum, jam enthymema &c.) docendi sunt
discipuli, quo pacto argumentationem nudè
propositam extendere & dilatare valeant O-
ratorum principum exemplo. Viam hac in re
stra-

stravit P. Radau in Oratore suo Extempo-
 raneo: secutus est P. Sigism. Lauxmin in Praxi
 Oratoria. In defectu horum servire poterunt
 sequentia, in quibus etiam aliquid ex mea
 praxi adjiciam. Solùm verò hîc ponetur mo-
 dus dilatandi syllogismum, & enthymema,
 tum quòd reliquæ argumentationes rariùs
 adhibeantur, tum quòd modus eas dilatan-
 di ex his desumi possit.

S. I. *Modus dilatandi syllogismum
 Oratoriè.*

Postquam igitur quæstionem instituisti,
 inveni rationem & argumentum, ex argu-
 mento, argumentationem v. g. syllogismum
 confice, tum singulas ejus partes extendè, &
 dilata v. g. sit quæstio: an amicus obvius sit
 salutandus? ratio occurret, quia de ejus con-
 spectu gaudeo: hinc formo syllogismum mo-
 do suprâ explicato, & erit iste: qui de alicujus
 conspectu gaudet, par est, ut illum salutet;
 sed ego de tuo gaudeo, ergo te saluto. *Ora-
 toriè* sic exponetur.

Major. Nunquam facundior sermo, aut
 magis diserta fluit oratio, quàm cū gaudio,
 & effectu perorandum est, Magne Præsul.

Minor. Fateor id equidem, tantoque certio-
 ribus argumentis profiteri cogor, quanto
 majore animi sensu, & minùs vulgari lætitiâ,
 ab aspectu tuo exortâ, ad hanc confessionem
 impellor. *Complex.* Salve igitur charum mihi
 pectus nectam voce, quàm animo salu-

138 De Tractatione seu deduct. &c.
tatus me tuum agnosce, tuumque in posterum esse velis, jubeasque.

Idem fusius.

Major. Quoties gratissimi hospitis, nobis amicissimi obtingit adventus, cum lætitiis animatus repleamur, non valemus tripudii nostri magnitudinem comprimere, quin exterius signis affectum nostrum expromamus, pedes in occursum, manus in amplexus, os in oscula, linguam in salutem & aggratulationem effundentes. *Minor.* Quidni verò lætitiis & ego totus incedam, quem tua dulcissima præsentia postliminio recreat, vultusque amænissimus rursus florere, ac vigere facit; es enim ille, qui animæ meæ delitium, ac pars altera vitæ meæ, sinè quo degere tædium, cum quo vivere voluptas est. *Completio.* Ave igitur amice mihi charissime hospes dulcissime; en tibi me amoris tuo totum sacro, consecroque: jube quidquid libuerit, impera, ad omnia me tibi paratum promptumque semper es reperturus.

Exemplum aliud.

Sit quæstio an quidpiam ab alio petere debeam: *ratio* quia olim expertus sum, eundem in me beneficium: ex hac forma syllogismum: cujus in aliis casibus experti sumus benevolentiam ab eo ut petamus, quibus egemus, meritò audemus. *Minor* sed tuam expertus sum. *Compl.* ergo petere audeo.

Ora-

Oratorie sic efferetur.

Major. Multa sunt, quæ alios audaces faciunt, atque ad implorandam beneficam opem, accendunt animos; nullus tamen certiore spe gratiam aucupatur quam ejusdem experimentis provocatus. *Minor.* Is ego sum profectò, qui me tum præsidis tuæ beneficentiæ, tum parentiæ auxiliis auctum, non modò memoriâ, verùm maximè beneficiorum usu experior. *Conclusio:* quidni igitur, non meæ dignitatis, aut meriti, sed tuæ gratiæ beneficentiæ consilio fretus, præsentî necessitati opem implorem? quidni de optimo, optima sperem? hic portus diu jactatæ spei esto, quam non dubiè firmabis, si in casu N. consilio tuo (vel auxilio subveneris,) gratum beneficiorumque memorem, dum vixero experturus.

§. II. *Triples monitum.*

I. Ne nimum scholare artificium redeat oratio; cavendum, nè Major ducatur à vocibus: Quicumque, quisquis, unusquisque &c. quod ut fiat, observamajorem occultius à prædicato, quam subjecto deduci v.g. in hac sententia: quicumque est liberalis est laudandus: *liberalis* est subjectum, *laudandus* prædicatum: ab hoc melius ordieris hoc modo: Ea quidem est omnis virtutis dignitas, quæ jure optimo lau-

laudis & venerationis cultum exigit ; nullo tamen id potiore merito vindicat sibi, quàm grata mortalibus & superis liberalitas. Possunt etiam eleganter propositiones universales per modum sententiæ efferi. v.g. adolescens castus est Superis gratissimus. Sic meliùs absolutè per definitionem: Divus odor, divinarum mentium amor, superùm tenerrimæ delitiæ, est ab omni obscænitæte remota mens, &c.

II. Nè siccus, rudis que sit hic eloquendi modus, excolitur & dilatatur, per adjunctas partibus singulis probationes, probationum confirmationes per allata similia & exempla, symbola & antiquitates, ac id genus orationum ornamenta, cujus exemplum hîc darem, nî longior forem.

III. Quia salutationes, gratulationes, nuptiales, funebres & similes orationes, certis quibusdam gaudent affectibus, si fortè viâ syllogismi ad exprimendos eos non deducamur, conclusionis locum aptè subire poterunt, aut post conclusionem poni: utriusque modi exemplum cape. *Questio*, an amico sit valedicendum? *argumentum*, quia sum amicus. *syllogismus*, Amicus debet amico valedicere, sed ego sum tuus amicus, ergo debeo tibi valedicere.

Oratoriè sic tractabitur.

Major. Humanitatem quotquot coluere homines, nō amant, è patrio se aliorum conferre

ferre solo, quin abitûs sui certiozem reddant, verbo etiam ultimùm alloquantur eum, quicum iis dulcissima vitæ consuetudo, commerciumque intercessit. Rationi quippe difforme censetur, ejus te postremò nolle frui conspectu, cujus præsentiam quotidie amplexus es, aut in votis saltèm gerere consueveras. *Minor.* Quid agere igitur me addecebat, Carole dulcissime, quando, fatis ita volentibus, mihi deterendus es? an à te nec supremo dicto vale discederè? an te nec discessus mei facerem certiozem? inhumanum hoc ac barbarum, multò verò magis in amicitiz nostræ leges graviter prævaricatum. Is enim tu mihi semper fuisti, quò inter mortales nemo charior, cujus non solum præsentia, atque aspectus intima præcordiorum excitabat ad amicitiam, sed etiam absentia dulcissimam refricabat memoriam; tecum agere, mihi voluptas, tuo gaudere conspectu, delicia; tuo frui alloquio ambrosia, te complecti nectar fuit divinissimum. *Conclusio.* Atque hinc est, quod non eâ mentis alacritate (quâ fortassis tortem oporteret) patriâ excedam: quòd à te, te, inquam, amicissimo mihi recedere quoque cogar: ô quanto mihi hoc dolori est, intime meorum Carole! quàm amara hæc à te mihi separatio accidit! non abire, sed vi divelli mihi videor à te, qui cordis mei dimidium, atque *alter ego*, semper extitisti, Noli proinde metuere, ne quando tui me capiat oblivio: erit, erit profecidò in fixa menti meæ altissimè amoris tui recordatio, ubi, ubi,

ubi, me degere, ac spirare fors dederit; nec enim possum imaginem tui ab animo meo deponere, quæ tam fixè pectori meo est impressa.

Alierius modi exemplum sit hoc: gratulaturus alicui felicem Natalem, facta quæstione & inventaratione, formetur hic syllogismus.

Major. Dies festi, non animo tantùm, sed & voce sunt colendi. *Minor:* sed dies hic est festus Tutelaris Divi. *Conclus:* Ergo non animo tantùm sed & voce colendus. Hic cum conclusio sit manifesta, breviter poni potest, indè aggratulatio cum aliis affectibus adiungi. v.g.

Major. Debetur hoc publicæ dierum amœnitati, quos aut illustrius ornavit gloriæ decus, aut sanctioribus serenavit lux cælestis sideribus, ut non animis tantummodò eorū applaudamus festivitati, verùm vocis ac gratulationis studio conceptâ proponamus hilaritatem. *Minor.* Illuxit revera hodierna die auspiciatus D. Tutelaris tui dies, dies, inquam, nobis ac tibi optatissimus, & non humano tantùm, verùm etiam cœlesti cultu prosequendus. *Conclusio.* Prodire igitur in vultum debet animus; effundet in plausum sincera gaudia; exundare in gratulationes devota tuæ incolumitati, lætitiæ, felicitati vota. *Affectus.* Et verò emanant, effundunt utque, atque hanc gratulationem, non verbis, sed gaudiis compositam eâ tibi ratione deferunt, ut cum præsentem gratulantur felicitatem, secutur

cuturam pari affectu voveant. Sit anni clausula dies hic, simulque sit plurium, elapso huic similitum, atque adeo fortunatorum exordium. Vive donec serus ætate, atque meritis ad natale solum natalis diei transferaris.

§. III. *Syllogismus perturbatus & inversus.*

Nè artificium syllogismi advertatur ab Auditoribus & pariat satietatem, idem modus argumenti formandi, misceatur in deductione partium ut prius tractetur Minor, postea Major, vel si conclusio est præmissa majori, rursus reperatur, aut ejus loco affectus materiæ convenientes subjungantur. Sic gratulaturus felicem ex publica convocatione, viro illustri reditum, talem formo syllogismum. *Major.* Qui re publicâ bene gestâ redit, ei reditum gratulari debemus: *Minor.* Sed tu redis &c. *Concl.* ergò tibi est gratulandum. Conclusioni affectus subjungi possunt. Initium duci potest à *Minore* v.g. Quanto gaudio, quantâ lætitiâ nos afficiat universos, optatissimus reditus tuus ex amplissimo regni (Reip.) conventu, dicere scitis non valeo, nec mente concipere: reverteris enim non solum salvus & incolumis, tibi tuisque sed & rebus ad regni emolumentum, ad populorum commodum, ad nominis tui gloriam faustè feliciterq; gestis, namq; &c. *Conclusio* quoq; non rarò primum locum occupat, cui assumptio vel propositio cū suis confirmationibus, vel absque illis subjiciuntur:
in fine

144 *De Tractatione seu deduct. &c.*
in fine tamen iteratur conclusio. *Exemplum.*
Gratulaturus viro de Repub. merito digni-
tatem, talem formo syllogismum. *Major* cui
honor meritò confertur, gratulari debemus.
Minor, sed tibi meritò est collatus. ergò &c.
Sic fieri potest *Conclusio*. Nec potuit equi-
dem, nec debuit fastigium dignitatis tuæ ali-
ter quàm ab humili adiri cultore. *Major*. Ea
etenim est majestas virtutis, atque dignitas
meritorum, ut honoris vendicet insignia, &
venerationis exigat encomia. *Ratio majoris.*
Clarius nimirum in altum provecta virtus
emicat, auctoq; gloriosæ lucis splendore, ut
illustrius publicum serenat, ità illustrius colli,
necesse habet. Honor quoque se ipsum cres-
cendo superat, & ignavis per merita vindica-
tus ab umbris, laudibus assurgit. *Minor*. Col-
latus enim verò est tibi Magistratus, sic autè
collatus, ut ad alium transferri absq; injuria
non tui, cui virtus maximus est honor, sed sui
non potuerit. *Ratio minoris*, Rudolphum Im-
peratorem clavâ cum oleæ ramo depictâ vir-
tutum tuarum insigne erexisse non dubius as-
seruerim, cui illa adjecta epigraphe: sive pa-
ce, sive bello. *Exornatio*. Occupasti utramq;
in Rep. gloriam & sago pariter, atque togâ,
cùm te virum probâsti, quem Mars miraretur,
pax coleret. Nunquam tuam patria ma-
num, aut consilium desideravit, quando qui-
dem ejus negotia intrâ tua numerata, ante
tua æstimabas. *Conclusio repetita*. Auspicare
igitur felicissimè hanc meritis tuis collatam
dignitatem, & fortunâ virtute promove, ut
majo;

majoribus cumulata ornamentis, illustrior nostris & publicis affulgeat ab alto incommodis.

§. IV. *Syllogismus imminutus.*

Solet quandoque una pars in syllogismo prorsus omitti, *major* vel *minor*, quando per se nota est & manifesta, ideoque enthymema syllogismi loco conficitur & tractatur, uti patet in orationibus Ciceronis: sed de enthymemate postea, hic verò sermo est de syllogismo, qui sic minuitur, ut licet propositio omitteretur, ratio tamen ad illam probandam ponatur, illà interim subintellectà, quo casu exercitium hoc à ratione majoris inchoari potest, & ipsa deinde roborari probationibus, eruditionibus &c. tum verò reliquæ partes *Minor*, & *Conclusio*, sive ordine connaturali, sive artificiali, & perturbato, subsequantur. Exemplum talis syllogismi sit hoc. Quæstio an gratulari natam prolem oporteat Parenti illustri? argumentum: quia conducit ad nominis gloriam hæc stirpis propagatio. Syllogismus. Quæ ad nominis gloriã conducunt, gratulari debemus; sed ergo. *Oratoriè sic. Ratio majoris.* Etsi magnæ opes & collata imperandi potestas multum ad bonam beatamque vitam conferunt, summum tamen mortalis generis decus gloriosa nominis propagatio. *Rationis probatio.* Perstringeret maximè sapientum oculos, fulgor auri, nisi facile pulveri misceretur; raperent universorum ani-

mos imperia, nisi ad misera mortalitatis damnarentur servitia. Nemo non opibus, nemo non potentiâ excellere velle, nisi hæc aut prævio impetu raperent dominos ad ruinam, aut subsequente passu raptos obruerent. Sola atque unica humanis fatibus insultat libertas: famæ, & naturæ fatisceris lapsu depressa ad immortalitatem erigit, erectos laudi inserit, insertos custodit. *Amplificatio.* Quam miserè vivimus, si diutiùs quam vivimus, vivere non liceat! quam deffendi obimus, si toti simul tumulamur! famæ verò hic felix genius, ejusdemque felicissimæ artes, nè mortales cum morte emoriantur, providisse, & inanimas inanes seipsâ alterâ veluti vitâ atq; mente animasse. *Erudito.* Hac de causa factum est, ut magnus ille rerum arbiter, & sapientissimus fortissimi Imperatoris, apud æternitatem, Orator, non ab exercitu cum imperio gubernato, nec ab opibus cumulatis Herois Homerici laudem quæreret, verùm à propagata carminibus ejus gloria panegyrum dicturus, augustâ voce, atque ad hæc tempora sonorâ inclamaret: Ô te felicem, qui talem laudum tuarum præconem merueris. *Minor.* Hæc porro à fama profecta mortalium prosperitas, quam ipsa diversè ad homines descendit, tam variè ad gloriæ penetralia homines deducit. Mars alios pari animo susceptus, ac tractatus, quosdam Pallas ingenuè culta perennitate nominis donavit: nonnullis æternitas domi nata, atque cum fortunata eximiorum parentum stirpe edita. *Ratio Minoris*

noris hæreditate nimirum generosa progeni-
 es parentum capeffit virtutem, & dum vivit,
 parentes refert: pulsat nobile venas decus,
 neque obliviosam paternorum meritorum
 patitur ignaviam. *Eruditio.* Scipionis edicto,
 aut te Scipionem nega, aut nomen virtutibus
 imple. *Conclusio.* Felices idcirco ejusmodi pa-
 rentes, qui cum aliis vitam partiuntur, largi-
 untur sibi, atque illis quidem mortalem ac
 perbreve (si humanæ vitæ metiamur me-
 tas) tribuunt, ipsi perenni successione occu-
 pata perennitatem obtenturi. *Affectus.* Hac
 te felicitate beatum hodie superi volunt, nos
 gaudemus: agnosce fortunam, apparatu ma-
 gnifico gloriosos intrantem penates; agnos-
 ce cælorum munus, ejusque aspectu diu in-
 columis gaude. Utinam quo nunc animo
 spes, è flore lætitiæ decerptas offerimus,
 eodem fructus provectoris ætatis carpa-
 mus & offeramus.

§. V. *Enthymema oratoriè de ductum.*

Hujus usus est frequentissimus, eo quod
 syllogismi pars aliqua, persæpe nec proba-
 tione, nec deductione egeat; imò quia per se
 nota est, apponi non potest sinè vitio super-
 fluitatis, unde syllogismi loco enthymema
 tractatur. Exemplum sit hoc: dum alicui fe-
 licem natalem apprecaris, sic argumentum
 statue: *Antec.* ex oriente natali, nova exoritur
 lætitia, ergo de eo lætandum & gratulan-
 dum.

Oratoriè sic :

Antecedens. Redivivum auspiciatissim
 Natalis tui sidus, quanta, proh Deum im
 mortalem! animum perfundit lætitiâ ! qu
 vultum replet amœnitate! quibus pectus in
 cendit jubilis; nec enim solùm terribilissim
 mæroris nubes ab animo meo detergit, fron
 temq; serenat; sed & intimas cordis fibras ex
 ultare, pedes subsilire, manus complodere
 labra, linguamq; in applausus cogit erumpere.
Eruditio. Evenire id mihi persentio, quod
 Memnoniæ illi in Ægypto statuæ, quæ ubi
 serenissimi solis exorti radius affulsit, move
 re se, immobilis alioqui moles, incipit, vitæ
 quâpiam redanimari, gestire gaudiis, & hu
 manissimum ave depromere siderum principi
 pi. Sic festivissima Natalis tui lux, ubi animi
 irradiavit meum è languenti alacrem, ex ex
 animi, redivivum, è tetrico tripudiantem, &
 mutum & elingui loquacem effecit. *Consequens*
cum affectu. Ah darent utinam superi, ut lux
 ista tibi faustissima, mihiq; lætissima redeat
 millies, & millies, concatenato ad votum tu
 um amorum, honorum, favorum, bonorum
 que fluxu omnium, quibus te abundare non
 mea solùm in te flagrans exposcit necessitu
 do, sed & vitæ tuæ, morumq; dignitas com
 meretur! Vive igitur! perenna (hoc enim tibi
 apprecor, dum quod in munus offeram di
 gnum te nil comperio) perenna, inquam,
 non annorum solùm longævitate; sed & a
 nimi jucunditate, ac sortis prosperitate, quâ
 & dies iste tibi semper sit deliciosissimus,
 tuis verò ter beatus, ter optatus, En.

Enthymema aliud, quo alicui novum annum gratulamur. *Antecedens*; novo ex oriente anno, nova exoritur lætitia. *Consequens*, ergò mihi de illo tibi est gratulandum.

Oratorie sic:

Antecedens. Cùm novum annum exortum cogito, novos soles, nova sidera, novam exortam lætitiã contemplor; idem enim exordiũ anni est, quod felicitatis nostræ auspiciũ; atq; unde principium annorum ducimus, prosperitatem exordimur. *Ratio.* Anni vitam humanam, & officia vitæ partiuntur, iidemque operum pariter, ac factorum lineæ, metæ, initia sunt. *Eraditio.* Idcirco à Romanis anni novi die, clavos æneos Capitolio infigi solitos, accepimus, tanquam fixam munerũ anni elapsi memoriã spondentibus, & novam ætatem ad favores superũ promerendos inchoantibus. *Consequens cum affectibus.* Auspicare igitur novum annum fortunatissimè, auspicare faustissimè, aggredere amœnissimè. Hic limen factorum esto, hæc janua felicitatis & gaudiorum. Cedat quidquid unquam adversi accidit, & non modò successus præsentis tui comites adhæreant, verũ novæ amœnitatis accersione aucti, tibi tuorumque votis obsequantur. *Nota:* interdum antecedens non probari: sive quia certum, sive quia minùs confert ad rem nostram, uti fit in syllogismo: interim autem consequentis deductioni & probationi immoramur, ut si gratulaturus electo alicui dignitatem, hoc uteris enthymemate: *Ant.* tibi est collatum offici-

um, *Conf.* ergò gaudemus. Nonnunquam & antecedens & consequens suis roboratur & expolitur rationibus: ut si suasurus Principi exteros consiliarios, nè adhibeat, domesticis neglectis, diceres, odiosum est, ergo id nè feceris.

Oratoriè sic deduci potest.

Anteced. Non tot ad scyllam aut charybdim marium exploratores allisi, quot Principes in publica odia impegerunt, postquam gubernaculis Reip. tractandis, neglectâ civium operâ, peregrinas admoverunt manus. *Ratio aut.* Nusquam odium magis sævit, quàm ubi contemptum se solo vindice plecti posse sentit, nec usquam contemptus urget contumaciùs, quàm ubi prudentia & fortitudo domestica, peregrina æstimatione damnatur. *Confirm.* Gravis sensus injuriæ privatæ est; quantum vulnus sit necesse publici infamisque judicii? virtutem, & sapientiam, tanquam regno absentem aliunde advocari debuisse. *Ratio altera anteced.* Fallant verò (quæ rebus inest vicissitudo) suscepta ab adveni, consilia, quis pœnas alieni facti feret? quis æstimato furori, nè dicam perfidiæ se multùm objiciet? ut enim illi bene, ac prosperè domesticis velint, subjecta sensib⁹ damna, quo se experimento probabunt, damnabunt creditos authores. *Conclus.* Hæc ità vera comperi, Princeps, ut simul certissimū habeam: te nihil magis odisse, quàm odia ubi ditorum *Ratio Concl.* scis, quâ industriâ imperaturo feliciter Principi, subditorum affectus

Standi, eum non ignores; quanta commoda benevoli animi, ideoque fidi polliceantur. *Comprobatio.* Hæ excubiæ nullis insidiis; hæ vigiliæ nullis laboribus; hæc scuta, nulli dolo, aut roboti cedunt. Remove tantisper amorē civium, tuo te ejecisti regno: quidquid vides, hostile est: frustra cives voces, quos inimicos feceris; aut in tui defensionem armes, quos odio induxeris: nulla virtus peregrina in bona patria; præcellere tamen debet, quæ senii authoritate valet.

§. VI. *Via sternitur ad dilatandam quamlibet partem in syllogismo vel enthymemate.*

Difficultas non parva oboritur incipientibus, quando id, quod paucis dicitur in syllogismo, pluribus efferre & dilatare jubentur. Verum superari illa facile potest, si pedetentim quis hoc in genere progrediatur. Incipiendum igitur dilatationis exercitium à propositione, id est constructione una, & quidem obvia; v.g. jam dies est: nunc est adolescenti studendum: hyems ingruit. Petrus est doctus &c. Si enim hujusmodi sententiolas, & propositiones dilatare noverint, facile enthymema, aut syllogismū deducunt; quippe syllogismus, & enthymema, non constat nisi similibus partibus & constructionibus: unde si semel deducant Tirones, artem esse expetendam; altera verò exercitatione exponant; eloquentiam, esse artem; quid opus est ad syllogismi structuram ultra nisi addere conclusionem, & partium inter se connexionem, quam transitionem vocant. Hunc modum observant pleræque artes.

ut ab una, & quidem minimè difficili parte, Tironi proposita, ad aliam difficiliorem procedant: sed potissimum pictores sic exercere Tirones suos solent, ut imponant primum aliquam partem in homine expingendam, v. g. caput, alià vice manum, subinde pectus, pedes, quæ ubi seorsim bellè exprimere norunt, corporis totius symmetriam efformare jubentur. Hunc in modum Eloquentiæ Tirones exercendi sunt, ut prius breviculas sententias aliquas deducant, quas ubi addiderint, non erit difficile ad syllogismi deductionem pervenire. Sed rursus difficultas est, quomodo Tirones in dilatanda propositione hujusmodi condocerendi? Respondeo: ut in syllogismi oratorii fabrica pro exemplari respiciendus Orator Extemporaneus & P. Lauxmin. Sic in propositionis extensione condiscenda revidendus & terendus Candidatus Rhetoricæ P. Franc. Pomeii Progymn. 3. ad cujus imitationem alia exempla efformari poterunt. Ad majorem verò facilitatem observari poterunt modi sequentes.

I. Modus est: data quacunque propositione expendere prædicatum, & subjectum illius, & utrumque vel alterutrum saltem fusiùs explicare. Expenditur autem tam subjectum, quàm prædicatum per locos Rhetoricos. v. g. inveniendò plures ejusdem rei definitiones, enumerandò partes illius, à genere descendendo ad speciem, à thesi ad hypothesin, à contrariis, priùs dicendo quid non sit,

postea quid sit explicatio circumstantias rei, & adjuncta, causas, effectus plures ponendo, afferendo similitudinem, & comparationem, seu exempla, v.g. sit hæc propositio: *vita nostra est plena miseriis*; in qua *subjectum* est: *vita nostra predicatum: plena miseriis*; jam *subjectum* dilata per partium distributionem, dividendo vitam in ætates, in infantiam, pueritiam, adolescentiam, robustam ætatem, & senectutem. *Predicatum* similiter deducere poteris per partium distributionem, enumerando miseriis varias, quibus una quæque ætas affligitur. Idem fieri potest, si dicas: Petrus est doctus; ubi licet *subjectum* dilatari non possit, tamen potest *predicatum*, si recenseam doctrinam Poeticam, Oratoriam, Musicam, Philosophicam, Juridicam, Theologicam, Historicam &c. sic hæc propositio: *otium est laudabile*: à loco definitionis augeri potest. v.g. dicendo: te non intelligere otium, quod fons est & origo malorum omnium, à quo libidines, furta, potationes &c. profluunt, otium te sentire, non fugam laborum, non desidiam, non stertendi assuetudinem, sed necessariam post labores quietem, operis remissionem, viriū restorationem &c. hoc de *subjecto*: similiter *predicatum* accipiens, dicere potes: illud esse quod sapientissimi ac piissimi non approbârunt modò, sed etiam laudibus extulerunt, atque sectati sunt &c. Id ipsum à similitudine, desumptâ materiâ, extendi potest. v.g. ab arcu, à jumento, à viatore &c. qui quietem aliquando exposcit. Id-

ipsum exemplis deduci potest, ut M. Crassi, Antonii, Scipionis, Ciceronis, qui in villas suas aliquando secesserunt relictis curis severioribus. Quo casu servit plurimum exercitatos esse in Chria verbali, & inductione Oratoria similium, & exemplorum, de qua supra. *A contrariis* sic augetur propositio, ut prius dicatur quid non habeat, deinde subjungatur quid habeat: v.g. dilataturus hanc propositionem: *jum est per*: prius dicas desuisse hyemis asperitates, quas potes enumerare sygillatim, tum subjungere veris delicias rursus in particulari. *Ab effectibus* dilatatur propositio, quando effectus unius rei plures explicantur: ut si amplificanda sit hæc propositio: *ebrietas est noxia*, referre potes plurimos ejus effectus, quos invenies apud Masen Palæst. Orat. l. i. c. 3. fonte 4. Aut si deducenda sit hæc: eloquentia est utilis, apponi possunt effectus eloquentie à Soario positi lib. i. c. 2. Quomodo ab hypothese ad thesin dilatari possit propositio vide P. Masen. in Pal. Orat. lib. i. c. 7. §. 4. P. Pomeij Progymn. 9. c. 2. Fecundissimus autem plerumque locus est adjunctorum, quando res cum suis circumstantiis exponitur: cujus rei exemplum invenies in P. Pomeij Progym. l. c. 2. de dilatatione periodi, ubi verbum *studeo* per adjuncta explicat. Vide etiam P. Lauxmin. c. i. q. 6. in Prax. Orat. & P. Radau Part. I. c. 2. q. 10. ad finem.

II. Modus est. eandem propositionem deducere per figuras verborum, & sententiarum, cujus rei specimē legendum ex P. Masen

Palæst. styli lib. 2. c. 5. n. 2. aut ex Candidato Rhetor: P. Pomeii Progym. n. 3. c. 2. §. 1. Juglaris in Ariadna c. 27. & ad imitationem Tironibus aliquid hujusmodi de signandum. Non est autem opus, ut eadem propositio semper dilatetur per omnes figuras; sufficit enim ad rerum & verborum copiam, si hæc deducatur per unam, altera per aliam, tertia per aliam, id maximè intellige de iis, quæ principaliores sunt, & plurimùm conferunt ad amplificandum. ut allegoria, Periphrasis, Hypothyposis, Apostrophe, Ethopeia, Protopæia &c. cujus rei exēpla prælegi possunt ex P. Pomeii. Progym. 2. & de Lacerda in Cāpo Eloquentiæ. Has inter cùm plurimùm adhibenda sit synonymia (sæpe enim non nisi verbis idem significantibus aliqua pars syllogismi explicatur) ejus usum perquã familiarem tibi reddere necesse habent Tirones; unde quoq; principio exercitandi in hoc, ut eundem sensum pluribus constructionibus, & verbis idem profus significantibus exponant; quod fieri potest initio Rhetoricæ, priusquam aliarum figurarum aut locorum Rhetoricorum notitiam habent: unde dicendæ illis Phrases, aut assignandæ, ex quo loco vel authore desumi possint. Videatur Masen in Palæstra styli lib. 2. c. 2. n. 1. & 3. qui prælegi potest. Interim pro exemplo sit hæc propositio: *est vir doctus*: quantum non excrescet, si dicas: omnigenâ eruditione plenissimus est, nihil penitus est, quod oculis ille suis non perlegisset;

156. De Tractatione seu deduct. &c.
ac firmissima recordatione retineret, quod intellectum ejus fugeret, quod mentem ejus lateret. &c. Hoc modo exornatur *adolescens ingenuus & liberalis*: Lactissimus, atq; ornatissimus adolescens, ingenuarum artium, atque officii peritissimus, domi suæ in primis nobilis & illustri apud omnes gratiâ; juvenis admirabili fatorum benignitate, ad gloriam atq; dignitatem natus: nemo hoc adolescente nobilitate, nemo literarum peritiâ, nemo bonorum morum culturâ, nemo vitæ innocentia, nemo ullo laudis genere illo præstantior. Hunc natura ad omnem famæ, atq; nominis celebritatem magnum, & excelsum produxit, voluntas exercuit. Vehemēs in hoc juvene mentis ardor, ardens vincendi cupiditas, oratio erudita, ac liberalis, mira quædam descriptionis elegantia, contentionis magnitudo, studium gloriæ, eximia Indoles, alta naturæ vis, excellens prolapia, nobilis sanguis, hunc juvenem ornatissimum effecere. Summa in hoc juvene spes, summa nascentis eruditionis expectatio, summū ingenii acumen, summa judicii maturitas, summa industria, summa omnia. Vide ut eadem res, idemque sensus aliis atque aliis verbis expromatur cū dilatactione propositionis. Tu in re faciles erunt illi, qui in syntaxeos classe variare consueverunt thema suū, quem ad finem etiam impellendi forent inibi, ut id sedulo præstarent phrasilegiis sibi in hunc usum comparatis: nec desistere in facultate Poëtica, ubi si carmē ex uno in aliud genus verterint; mag-

na verborum synonymorum copiã instructi ad Rhetoricam accedent. Ad eandem servies adagia combibisse ex P. Masen. Palæstra Styli lib. 3. c. 5. vel alio, nam & eruditionis sapore, gustum afferunt, & propositionem dilatant, exempli gratia sit hæc: *amicitia inter pares coalescit*: Boni ad bonorum convivia accedunt etiam non vocati, & simile gaudet simili, æqualis æqualem delecta: similem Deus ducit ad similem, & semper graculus assidet graculo, & similes habent labra lactucas: pares cum paribus facilè sociantur: & Cacus Calcem ducit: Et Balbus balbum rectius intelligit, & cicada cicadæ chara, formica formicæ & Cretensis cum Æginita &c. Ornatum & copiam quoque faciunt comparationes naturales, & historicæ, ut melle dulcior, nive candidior, oleo tranquillior, auro purior, stipite immobilior, asino tardior, sillice durior, littore surdior, iracundior Adriã, arenis sitientior, vitro fragilior &c. Venera formosior, Minervã doctior, Marte bellacior, Mercurio facundior, Momo mordacior, Iro pauperior, Harpyã rapacior, scythã crudelior, Leontinis luxuriosior; Milesiis effæminatior, Crasso & Cræso locupletior &c. Potest etiam res simpliciter efferri sine comparatione Grammaticali, usurpando Metaphoram v.g. adamantinum pectus pro duro, vulpinum ingenium, pro astuto, nivei mores pro candidis, & si impurum voces sterquilinum, aut hircum fætentem, cæcum, talpam; rapacem, lupum; deformem, Theristem; crudelē

Arre-

Atreum; severum, Catonem; facundum, Tullium. Usus etiam esse potest Hyperboles: ut si dicas ipsâ cæcitate cæcior, ipsâ fame esurientior, ipsâ deformitate deformior, ipsâ crudelitate crudelior, ipsâ stultitiâ stultior &c. Huc (ad synonymiam) etiam referuntur alii tropi, qui unam vocem ponunt pro alia: ut puppis pro navi, argentum pro pecunia, ales pro aquila, everfor Carthaginis pro Scipione. Maximum autem affert ornamentum allegoria; præterquã enim, quod constructionem augeat; etiam delectat propter occultam & continuatam eadẽ in re similitudinem. Quapropter post explicatos tropos (quod principio anni expediret fieri, libro interim primo & secundo dilato) exercendi erunt in formandis eorum exemplis, præmissa interim exercitatione per synonymiam, modò supra dictò; potissimũ enim Tirones formandi in elocutione oratoria, in qua eos oportet excellere, non item in inventione & dispositione, quæ maturius iudicium & ingenium Philosophiã excultum requirunt.

Notandum verò: dum exercentur synonymia, commonefaciendi sunt, ut nullum argumentũ seu rationem afferant; sed præcisè insistant thematis declarationi; probationibus omissis: ad eũ ferè modum, quo fit in secunda Chriæ verbalis parte, ubi exponitur præcisè, non autẽ probatur sentetia. Aliã deinde occasione id ipsum per rationes, per contraria, similia, & exempla fieri potest ordine tamen illo, quem Chriæ observat, neglecto.

§. VII. *Via eadem fit planior incipientibus.*

Post cognita artis oratoriae praecepta, duo praescribuntur ab authore lib. i. c. 8. *media comparandi eloquentiam: Exercitatio & imitatio*; ut enim fabricando fabricimus, pingendo pictores, scribendo scriptores; ita & orationem concinnando, Oratores; quemadmodum verò pictores inter pingendum respiciunt principio exemplar aliquod ab artifice expictum, & pueri characterem praescriptum in tabula, vel papyro, sic itidem faciendum Tironi eloquentiae. Unde primùm, & antè omnia occupandi sunt in imitandis Eloquentium virorum scriptis assignato illustri aliquo loco v. g. hypotyposi, allegoriâ, prolopopæiâ &c. ex Cicerone, Seneca, Virgilio, vel authore alio, qui prae manibus est, ut Candidatus Rhetoricae, Orator Extemporaneus. Hunc mutatâ solùm materiâ ad aliud thema applicent, & ad normam illius expriment. Juvabit hoc non solùm ad rerum, & verborum copiam comparandam; sed etiam ad phantasiâ circa modû dilatandi concipiendam. Hoc modo se plurimùm profecisse experienciâ suâ testatur P. Masen. in Palæstra styli lib. i. c. 4. n. 3. quem etiam discipulis ad commendationem praelegisse juverit: & ille ipse in Palæstra Oratoria totus est in imitando, non existimans se facilius formare posse oratorem, quàm imitando, longum enim

enim

enim inquit ille ex Seneca, iter est per præcepta, breve per exempla. Hinc ipsas Ciceronis orationes sic in Analysin redegit, ut in fine ostendat, quâ in materia quis eas imitari valeat. Quo pacto verò quis partem aliquam imitari queat, docet in Palæstra Styli lib. I. c. 10. quem vide n. 2 & 3. Item Palatium Eloquentiæ in Atrio Eloquentiæ exercitatione 1. Lectione 3. puncto 4. ego adjiciam quæ habet P. Carolus Pajot in Tirocinio Eloquentiæ *Ratio imitandi.*

1. Cùm mutatur quidem sententia, verba autem eadem retinentur. v. g. Cicero dixit: non placet Antonio consulatus meus; at placuit Servilio: sic quis imitari posset: non placet negligentioribus discipulis meis studium assiduum literarum; at placet diligentioribus. Vel ut Cicero dixit, P. Clodii mortem nemo æquo animo ferre potest: Sic de alio sincere dici potest: tanti viri mortem nemo æquo animo ferre potest: luget Senatus, mæret equester ordo &c. Vel contrario sensu de aliquo scelerato: per diti hujus hominis mortem nemo iniquo animo ferre potest: gaudet Senatus, exultat equester ordo, tota regio affecta gaudio est: florent municipia, eriguntur coloniae, agri denique ipsi, tam pestiferum, tam immanem, tam exitiosum virum cecidisse lætantur.

2. Cùm mutantur quidem verba, sed sententia eadem retinetur. v. g. Cicero dixit divinatione in Verrem: de te Cæcili, jam extra contentionem, certamenq; nostrum familiariter

ariter tecum loquar: tu ipse quemadmodum existimes, etiam atque etiam vide, & intellige qui sis, & quid facere possis considera: putasne &c. Sic Ciceronem imitabor. Sed de te nimium pertinax adolescens jam extra omnem contentionis acerbiter familiariter tecum loquar; tu quemadmodum studeas, vide etiam atque etiam, quis sit progressus tuus, & quos iudices expectaturus sis, considera: putasne te posse &c.

3. Cum mutata simul sententia, & locutione, eundem dicendi tenorem observamus: v.g. Cicero pro Milone dixit: nam illa praesidia quae pro templis &c. sic imitari possumus: nam illa castra hostium quae pro muris conspiciunt, etsi ad vim inferendam &c.

4. Cum sensus propè ad verba eadem, aliquibus insuper additis, retinetur. v.g. Cicero dixit: quousque tandem abutere Catilina patientiam nostram? sic imitabor: quousque tandem abutere contumax adolescens praepetoris patientiam? quousque animus tuus tot, tamque amicis obduratus monitis obstupescet?

5. Cum pro sententia aliam sententiam, pro verbis alia verba eodem ordine, & tenore collocamus, v.g. Cicero dixit; Novi iudicii nova forma terret oculos &c. Sic imitabor: perditissimi viri inaudita impietas affligit bonorum animos &c.

6. Cum easdem figuras, mutatis verbis, & sententiis imitamur. v.g. Cicero dixit pro Milone: quid porro quaerendum est? at constat.

L

à quo

à quo? ut patet &c. Sic imitabor. Ei verò qui velit in virum doctum evadere, quid præscribendum censeatis? ut studeat? at constat, ut præstantissimos scriptores imitemur? at patet.

7. Cum eadem argumenta, & eundem argumentandi, narrandi, dicendique modum sequimur, v.g. pro Milone Cicero, orationis exordium distribuit in duas propositiones: 1. est, non debeo timere pro Milone dicturus. 2. nova forma iudicii me terret. Tum utramque probat & amplificat; tandem concludit, sed artificiosè; cum enim sic concludere debuisset: etsi timere non debeo, tamen subest aliqua terroris causa: nihilominus ut modestius seipsum ac Milonem commendaret ex libertate quadam dicendi, conclusionem ad iudices convertit his verbis. Quamobrem adeste animis Iudices, timorem, si quem habetis, deponite &c. cuius conclusionis rationem proponit, eamque amplificat. Hoc artificium exordii in alia materia potest quis imitari, v.g. pro argumento sit consolatio de morte fortissimi Principis, aut Ducis; sic exordium poterat distribui in duas pariter propositiones: Non debemus gaudere de morte illustrium virorum (en prima propositio) qui patriæ tam fideles sunt, ut cum de illius salute agitur, nec quorumcunq;, nec sui ipsius mortem curent. en secunda propositio: utraque probanda & amplificanda est; deinde conclusio converteretur ad cives, quibus probabitur gloriosum esse pro patria mori,

Iul.

fuisque rationibus & amplificationibus illu-
 strabitur. Hæc ex P. Carol. Pajot. Quod
 si porrò difficultas oboriatur in designanda
 ad imitandum materia, reddetur & ista pla-
 nior, postquam lectus fuerit P. Masen. in Pa-
 lest. Orat. liber tertius à. i. ad ultimum; illu-
 strabitur enim intellectus ad similia. Docenti
 verò nullâ re opus erit aliâ in principio,
 quam legere Orationes Ciceronis, aut aliorum
 v. g. Potensium, Mureti, Negronii, Avanci-
 ni, interq; legendum cogitare, quam in rem
 aliam transferri, & accommodari possit: tum
 verò dictate Tironibus, & ad imitandum
 proponere. Sublevabitur sic Professor mag-
 no labore, quam impendere necesse foret in
 propriis thematibus elaborandis; cuius etiâ
 beneficio perfruetur, ubi aliquam diu in hoc
 imitationis studio fuerint versati; tunc enim,
 licet ipsi Tirones natâre, atque volare viri-
 bus suis incipere debeant; tamen exemplo il-
 lis præeundum; ideoq; licet materia non as-
 signabitur, aut dictabitur, quam exprimant
 imitando, juverit tamen plurimum, ut data
 ad dilatandum propositione, prius iisdem præ-
 legatur, jam deducta, & expressa ab aliquo
 auctore; idq; hunc in finem, ut imaginatio-
 nem combibant in phantasia, quâ imbuti fa-
 cilis videant, quo pacto incipiendum, qui-
 bus verbis, & figuris utendum, quibus peri-
 odis &c. Serviet hic P. Delacerda in campo
 Eloquentiæ; Palatium Eloquentiæ, Causinus,
 itemq; alii auctores, qui floridè scripserunt; uti
 Guiel. Stanhurstius in quatuor novissimis;

in Tesserâ Militis Christiani: Carolus Scribâ-
 nus de Passione & in quibus annotari pote-
 rit locus aliquis illustris v. g. alicujus propo-
 sitionis explicatio per aliquem locum Rhe-
 toricum, per aliquam figuram insignem v. g.
 prosopopœiâ, hypotyposin &c. per quadra-
 tas periodos &c. illisque eandem assignare
 propositionem pro dilatione, sed ad mayo-
 rem facilitatem prælegere prout ab alio fa-
 cta est. Quod ipsum potest facere Magister,
 in iis, quæ ipse elaboravit themata, quæ etiam
 postmodum dictari poterunt.

Est adhuc alius ante dictam imitationem
 (nisi utroque mixtim uti libeat) usurpandus
 modus Tironibus per utilis, ut locum aliquem
 insignem v. g. descriptionem, narrationem
 &c. à Cicerone vertant à latina in maternam
 linguam, aut in carmen; aut vicissim carmen
 aliquod in solutæ orationis numeros; sic e-
 nim & verborum sibi comparant copiam, &
 phantasiâ circa modum dilatandi, exor-
 nandi, &c. stylique diversitatem notant. Sed
 advertendum, cum ex latino aliquid in ger-
 manicum, aut è contrâ, transfundere volue-
 ris, danda est opera, ut verba quidem, quoad
 ejus fieri potest, propriè reddas in conversio-
 ne: in phrasibus tamen eam curam adhibeas,
 ut collatione utriusque linguæ videas, quid
 idioma ferat, aut requirat; ne dum latinè lo-
 qui studes, maternæ linguæ more sonos fun-
 dere videaris, & contrâ, ut si vertendū sit hoc:
Er wil das studiren auf den nagel hengen:
 non est dicendum: vult studia ad clavum su-
 spen-

pendere, sed vult studia abrumperere, aut Musis valedicere, prius enim in Latino non congruit, quòd locus proverbii hujus apud Latinos non sit. Qui verò Græca vertere latinè voluerit, is primùm quidem proprietatem & vim verborum accuratè exprimendam & reddendam esse putet. Tum si paululùm in hoc exercitationis genere fuerit progressus, sententiam phrasi latinâ exprimere studeat, ità ut non verbum verbo reddere existimet esse necesse, sed secundùm Ciceronem efficiat, ut sententiæ sententiis respondeant: satis enim in hoc genere fuerit, omissis syllabarum dimensionibus, (si carmen est) sententias ipsas bona fide vertisse.

V. reg. 5.
Profess.
Rhetor. &
Palatium
Eloquen-
tiæ exer-
cit. i lect.
5. puncto
5.

S. VIII. *Monita in dictorum usu obser-
vanda.*

I. Attendendum adolescentibus, nè dum propositionem amplificat, per imprudentiam addant aliquid, quod sit impertinens & superfluum. Est autem impertinens & superfluum illud, quod non facit *ad rem probandam vel declarandam*. Videndum itaque an propositionem explicandam *declarent* aut *probent* ea, quæ adduntur. Probant autem rationes & argumenta ex locis desumpta. Declarant similitudo & synonymia, in qua etiam attendendum, ut dum idè dicis, aliud tamen dicere videaris, non verò minùs, aut idem quod dixisti: quâ ex causa ordo in collo- catione verborum. Si servandus enim prius

ponas, *trucidavit*, jam superfluum est ponere *occidit*; si verò præponas *occidit*, tum *trucidavit*, non redundat.

Ordo
Excitati-
onum,

II. Dum dilatationi dant operam; non prætermittant figuras verborum, & sententiarum, quarum notitiam ex explicatione in Poësi, vel à principio anni in Rhetorica habere supponuntur: non enim simplici & nudâ deductione thematis contentos esse decet; sed ad elocutionem oratoriam eniti. Unde hic ordo exercitationum esse posset 1. occupentur in versione ex una lingua in aliam, ex ligata in solutam; interim figuræ & tropi explicari poterunt. 2. in imitatione suprâ explicata. 3. in exemplis troporum & figurarum, & frequentius in synonymiâ, periphrasi, allegoria, hypotyposi, ethopeia. Interim liber primus de inventione argumentorum & secundus de argumentatione exponeretur. 4. in dilatatione prædicati & subjecti per locos Rhetoricos. Ad numerum verò Oratorum non prius adstringendi, quàm ad exercitationem figurarum, & locorum venerint: nã licet plurimum in eò sit positum, attestante P. Lauxmin. in Praxi Oratoria, prius tamen in eo exercitari non possunt Tirones, quàm facilitatem habeant aliquam dilatandi vel restringendi, ut orationem in membra & incisa secent, aut in periodos effluere sinant; hoc enim esset inducere formam sine præsupposita materiâ, & construere ædificiû sine calce & lateribus. Quâ verò ratione in numero oratorio exerceri queât Tirones, tradit breviter P. Pomey Progym. l. c. 2, fusè autem P. sigism. Laux

Lauxmin in Praxi Orator Palatium Eloq.
Exercit. i. lect. 4.

III. Stimulandi sunt adolescentes ut mox in principio tirocinii sui lectidni Oratorū facile intelligibiliū se dedāt. quales sunt orationes Mureti, Vernulæi, & Ciceronis, à Magistro jam explicatæ; neq; exercitium aliquod unquā aggrediantur, quin prius aliquid legerint: hæc enim lectio facilitatem componendi addit, ex speciebus & imaginatione figurarum & numeri oratorii recenter excitata. Porro ut cum utilitate hæc fiat, observentur præcipuæ eloquentiæ partes in oratione expressæ. Primò itaque investigetur causa generis, quis status seu quæstio, quis syllogismus, quod argumentum, è quo loco Rhetorico desumptum. Secundò consideretur ordo partium, & earum connexio per transitiones; quale exordium, unde desumptum, quis epilogus, an cum motu levi vel vehementi? Tertiò notentur ornamenta elocutionis, phrasæ, tropi, figuræ, amplificationes, affectus, incita, membra, periodi; Observetur etiam quemadmodum nihil hiulcum aut asperum, aut obvocalium, aut ob consonantium inter se concursum obijeatur: an naturæ ordinē sequantur verba, ut decreſcat, vel assurgat oratio &c. Vide P. Masen. in Palæst. styli lib. i. c. 5. Palatium Eloquent. Exercit. i. lect. 6.

§. IX. De Connexione partium in Argumentatione.

Difficultas quoq; est incipienti, ab una syllogismi parte ad aliam transire & transgredi:

168 *De Tractatione seu deduct. &c.*
pro qua tollēda servire poterunt sequentia,
Explicata una syllogismi parte, ad assumptio-
nem transitus fieri potest per has particulas,
Age verò, jam verò: quid autem est quod &c.
Quoties rationem ad majorem vel mino-
rem ponimus, sicut & alibi, dum causa
redditur, ut fit in confirmatione v.g. episto-
læ, serviunt particulæ causales: etenim, enim,
namque, quippe &c. Quoties autem aliquid
inferendum, ut fit in conclusione & in epilo-
go, valent particulæ illativæ: Itaque, igitur,
quare, quapropter, Quæ cum ita sint. Quoties
plures ejusdem rei rationes afferuntur, prima
profertur per enim, etenim: reliquæ sic: dein-
de, subinde, mox, præterea, Ad hæc, accedit,
super hæc: Eodem pertinet, his finitimum
est, illud nequaquam prætereundum. Cæte-
rùm, porrò, demum, denique. Aliquando
transitiones sumuntur ab æquali v. g. at e-
rant hæc jucundissima, neq; minus volupta-
tis attulerunt illa: Interdum ab inæquali v. g.
Sed hæc utcunque ignoscenda, illud verò
quis ferat? vel audistis gravissima, audietis
graviora. Subinde à contrario v. g. Sed
hæc privatim gesta sunt, nunc quæ publicè.
Hactenus quæ domi gessit, nunc quæ in
castris. A diverso sic: de moribus habes,
nunc de doctrina reliquum est, ut dicamus.
Vel quasi per occupationem: jam ad reli-
qua properabimus, si tamen prius illud unum
adjecerimus. Vel per Correctionem. Ve-
rùm de his plus satis. Quorsum nos trans-
versos abripuit dolor? ad rem redeamus:
quid

quid his immoror? ad id quod est hujus cau-
sæ caput festinet oratio. Vel à consequen-
tibus. Habes quid in illum contulerim be-
neficii, nunc, quam gratiam mihi retule-
rit, audi. Quid pollicitus sit, exposi-
tum est, nunc quid ille præstiterit, acci-
pite. Hæc sufficient; plura qui volet, con-
sulat P. Masen. in Palæst. Orator,
lib. 1. c. 31. 32. 33. Palatium Elo-
quent. Exercitat. 4. lect,
4. puncto 5.

